

generali: quod ad prescriptionem contra ecclesiam requiratur dictum tempus cum titulo, quoties jus commune resistit, vel praesumptio est contra praescribentem, textu aperto c. 1. de *Prescript.* in 6. atqui jus commune resistit praescribenti decimas contra ecclesiam parochialem praebetque praesumptionem pro parcho contra praescribentem, hoc ipso, quod expresse statuatur, decimas de jure pertinere ad parochos, c. xxix, et c. xxx. h. t. ergo. Ex quo colliges differentiam inter praescriptionem decimarum contra ecclesiam parochialem, et non parochialem; quod nempe in praescriptione contra ecclesiam parochialem requiratur praeter quadraginta annos, justus titulus; contra ecclesiam non parochialem vero sufficiat bona fides sine titulo. Ratio autem differentiae est, quia pro ecclesia parochiali, non item pro alia adest praesumptio juris, ejusque specialis assistentia et favor contra praescribentem, prout cum aliis bene advertit Engel, loc. cit.

128. *Quid juris, si parochus praescribit decimas de bonis sui parochiani in alia parochia existentibus.* — Dicitur autem ordinarie, quia limitant docteres praefatam doctrinam in casu, quo parochus contra alterum parochum praescribit decimas praediales de agris et fundis sui parochiani in alterius parochia existentibus; tunc enim (aiunt) sufficit ad praescriptionem inter praesentes, decennium, inter absentes vero vicennium. Abbas, in c. *Cum sint.* 18. n. 6. ad finem; Covarruvias, lib. I. *Variar. resolut.* cap. xvii. n. 8, § 8; Pirhing, h. t. n. 117, et alii. Rationem dant; quia in tali casu jus praescriptioni non resistit, sed potius assistit, utpote expresse declarans, quod in controversia, quis decimas de praediis in alterius parochia sitis, percipiat standum sit consuetudini diu obtentae, prout ex c. *Cum sint.* 18. et c. *Ad apostolica.* 20. h. t. jam dictum est supra n. 94. Tempus autem decem annorum est diuturnum seu longum, arg. l. I. c. de *Prescript. long. temp. decem vel viginti annorum.* in *Rub. et Nigr.* Abbas, loc. cit. et alii.

129. Quibus non obstantibus probabile est, etiam in hoc casu requiri quadraginta annos cum bona fide, licet non cum titulo; quamvis enim in tali jus non resistat praescribenti, sicque faciat, quod una cum quadraginta annis non requiratur titulus, sed sufficiat bona fides, tamen eundem non eximit ab alia juris dispositione, quae universaliter vult, quod ad praescribenda contra ecclesiam

bona immobilia requirantur quadraginta anni cum bona fide, juxta dicta, et probata n. 126. Hinc sicut haud obstante, quod jus non resistat praescribenti decimas contra ecclesiam non parochialem, v. g. monasterium, requiruntur quadraginta anni cum bona fide; ita etiam non obstante, quod jus non resistat in controverso casu, praescribenti, quadraginta anni cum bona fide erunt necessarii. Secus ecclesia parochialis, contra quam praescribitur, foret deterioris conditionis in materia decimarum, quam alia ecclesia non parochialis; quod nullus dixerit.

§ VII.

DE DECIMIS, QUAS LAICI HABENT: ITEM DE DECIMIS NOVALIUM.

130. *Laici non sunt capaces juris decimandi fundati in spirituali officio.* — Quæritur I. An etiam, et quomodo laici acquirere possint jus decimandi? Notandum prius, jus decimandi dupliciter considerari posse, videlicet primo quatenus est jus spirituale fundatum in titulo spiritualis officii seu obligationis ministrandi spiritualia. Secundo quatenus abstrahit ab omni titulo spirituali, prout nempe est jus percipiendi decimam partem fructuum in signum universalis domini Dei praestitam absque ullo respectu ad officium spirituale. Resp. I. Laici nullo modo sunt capaces juris decimandi in prima consideratione accepti. Ita certa et unanimis cum Glossa, in c. *Quamvis.* 17. §. *Concesserit*, h. t. habeturque clare statutum in jure per plures canones, uti can. 1. cau. 16. q. 7. ubi laici decimas possidere prohibentur, et oppositum facientes dicuntur « Sacrilégii crimen committere, et æternæ damnationis periculum incurrere, » idem desumitur ex c. *Ad hæc.* 15. et c. *Quamvis.* 17. h. t. ibi: « Nimis grave, et divini dignum animadversione judicii habetur, quod laici, quod sacerdotum est, in rebus Ecclesiasticis (de Decimis est sermo) usurpent. » Concordant, c. *Prohibemus.* 19. eod. c. *Causam.* 7. de *Prescription.* cum concordantiis. Ratio est, quia hoc ipso, quod laici officia spiritualia praestare nequeant, ex titulo officii spiritualis decimas percipere nullatenus possunt. Pirhing, h. t. n. 136; Suarez, et alii.

131. *Nec alia ratione illud acquirere valent.* — Resp. II. Etiam in secunda consideratione acceptum jus perpetuum decimandi

nulla ratione laici acquirere possunt, quam quasi privilegio, seu concessione Pontificis. Est communis, patebitque ex conclusionibus illico sequentibus. Ratio interea est, quia etiam decimæ, quæ in signum universalis domini absque respectu officii spiritualis dantur, ex præcepto divino dari debent clericis, et non laicis, prout constat ex dictis supra, clareque habetur in c. *Tua nobis.* 26. h. t. ibi: « Decimæ, quas Deus in signum universalis domini sibi reddi præcepit: » et infra: « Cum Deo debita sit solutio decimarum in tantum, ut ad eas clericis exhibendas, quibus eas ipse pro suo cultu concessit, etc., laici sunt cogendi: » ergo cum præcepto divino nemo contravenire licite valeat, jus perpetuum decimandi laicis nemo dare, consequenter nec ipsi ulla ratione acquirere possunt, nisi quasi privilegio seu concessione summi pontificis. Nam.

132. *Quam privilegio summi pontificis.* — Resp. III. Licite et valide potest summus Pontifex laicis non tantum in feudum et emphyteusim, sed etiam perpetuo donare jus decimandi in secunda acceptione considerata, si ita exigit bonum Ecclesiæ. Omnes. Patet multiplici experientia, quia videmus, quod varii pontifices diversis regibus, principibus, ducibus, nobilibus, ob eorum præclara merita, vel beneficia in ecclesiam collata, aut quando alias ita exigebat ecclesiæ bonum commune, perpetuo concesserint laicis jus decimandi cum potestate transferendi illud successoribus suis. Ex quo venit, quod multi adhuc laici principes, et nobiles jus decimandi possideant, illoque perpetuo fruuntur.

133. *Solvitur objectio.* — Dices juxta num. præced. decimæ in signum universalis domini debita ex præcepto divino solvi debent clericis: ergo Papa illas percipiendi jus perpetuum tribuere non potest laicis, eo quod in jure divino dispensare nequeat. Ad hanc objectionem respondetur eo modo, quo supra a n. 86. ubi vide. Quibus tamen adde, quod a plurimis jam annis Pontifices laicis jus decimandi perpetuo concedere et donare non amplius soleant, sed tantum ad tempus loco subsidii, v. g. tempore belli, quod catholici principes contra infideles, hæreticos, aut alios Ecclesiæ hostes pro totius Ecclesiæ bono communi gerunt: vel ad summum in emphyteusim, vel feudum pro reciproca recognitione alicujus obsequii Ecclesiæ præstandi; prout communiter advertunt docto-

res. Poro si quando Pontifex decimas ab aliqua Ecclesia vel ex toto, vel ex parte auferens tribuit laicis necesse est, ut dictis clericis Ecclesiæ ministris alia honestæ sustentationis subministrantur media, nisi aliunde sufficientes jam haberent redditus ecclesiasticos; prout cum aliis bene observat Layman.

134. *Episcopi et alii ecclesiarum prælati olim poterant dare laicis decimas in feudum: sed hodie non amplius possunt.* — Resp. IV. Quamvis olim episcopi, ac alii ecclesiarum prælati jus decimandi in feudum, vel emphyteusim perpetuo concedere potuerint, hodie tamen a tempore concilii Turonensis celebrati sub Urbano II, anno 1096, vel saltem a tempore concilii Lateranensis celebrati sub Alexandro III, anno 1179, teste Covarr., lib. I. *Variar. resolut.* cap. vii. n. 4, et Barbosa, in c. 1. de *His, quæ fiunt a prælat.* n. 2. id sine consensu summi Pontificis facere amplius non possunt. Prima pars, quod olim potuerint, desumitur ex c. *Tua.* 25. h. t. ubi supponitur, quod ab antiquo decimæ in feudum laicis dari potuerint: et constat ex decreto Urbani II. revocantis dictam potestatem, uti legere est in lib. I. *Feud.* tit. VI; deestque Zoesius, h. t. n. 4; Covarruvias, loc. cit.; Azorius, part. I. lib. VII. cap. xxxvi. q. 12; Pirhing, eod. n. 139. et communis aliorum. Rationem dat Suarez, quia episcopus in sua diocesi idem facere potest, quod Papa in universa Ecclesia, nisi a jure, vel aliunde prohibeatur. Altera pars, quod de facto non amplius possint, patet et citato decreto Urbani II, relato in lib. I. *Feud.* tit. VI. Vel si cum aliquibus dictum decretum non receptum contendis, ex concilio Lateranensi relato c. *Prohibemus.* 19. h. t. ubi dicitur, quod laici decimas sibi concessas illicite possideant; at non illicite possiderent, si prohibitio concedendi facta non esset. Eadem pars liquet ex c. *Ad hæc.* 15. et c. *Quamvis.* 17. eod. ubi ecclesiarum prælati graviter increpantur, et maxime delinquere dicuntur, quia decimas laicis concedunt. Concordant c. *Cum Apostolica.* 7. in fine. de *His, quæ fiunt a Prælat.* et c. ii. § *Sane*, in. h. t. in 6. Ratio autem hujus prohibitionis fuit abusus, et nimia prodigalitas prælatorum in concedendo laicis jus decimandi cum gravi dispendio ac præjudicio status clericalis.

135. *Decimæ ab episcopis olim laicis concessæ, licite etiam hodie ab eis retinentur.* — Resp. V. Licet episcopi, alique ecclesiarum prælati hodierno jure jus decimandi laicis in

feudum, vel emphyteusim perpetuo concedere non possint arg. *Juribus* nu. præced. cit. Valent tamen etiamnum hodie illorum concessionem ab eisdem factæ ante concilium Lateranense, et decretum Urbani VIII, possuntque laici licite, hodie quoque retinere jus decimandi antecessoribus suis ante dictum decretum concessum. Engel, h. t. n. 22; Pirhing, eod. n. 139; Covarruvias, lib. I. *Variar. resolut.* cap. XVII. n. 4, § *Olim sane cum communi*. Idque clare patet ex cit. c. *Cum apostolica*. 7. in fine, de *His, quæ fiunt a Prælat.* c. II. § *Sane*, in fine. h. t. in 6. Idem constat ex cit. lib. I. *Feud.* tit. VI, ubi etiam potestas civilis venerans Urbani II. decretum, ait: « Quod feudum hujusmodi post Urbani decretum datum, sit nullum; quod autem ante illud datum, firmiter debet permanere. » Ratio est, quia nova jura prohibentia decimarum concessionem perpetuam, solummodo ad futura, non autem ad præterita tempora se extendunt; consequenter quia tempore dicta jura antecedente per episcopos, aliosque Ecclesiæ prælatos laicis jus decimandi licite et valide in perpetuum concedebatur, licite et valide idem etiamnum retinent.

136. *Quivis clericus absque ulla juris solemnitate potest ad tres annos elocare decimas etiam laicis. Statutum in præjudicium clericorum inferiorum non potest facere episcopus.* — Resp. VI. Possunt non tantum episcopi, et ecclesiarum prælati, sed et parochi, ac alii clerici jus decimandi habentes, commoditatem fructuum decimarum ad unum vel plures, saltem tres annos absque omni alia juris solemnitate cuius etiam laico elocare, prout clare decisum habetur c. II. de *Locat. et conduct.* et docet ibi Glossa, §. *Statuto communiter* recepta; Barbosa, in cit. 2. eod. n. 1 et 2; Abbas, ibid. n. 1, 2, et 3; Ancharanus, ibid. n. 2 et 3. Ratio est, quia decimæ sic spectatæ sunt quid mere temporale, consequenter laicis locari, ac distrahi possunt, et quidem libere, id est absque licentiâ superioris, et alia juris solemnitate, imo « non obstante diœcesanorum episcoporum contrario statuto, » prout expresse statuitur cit. c. II. de *Locat. et conduct.* et observant cum Glossa doctores citati, qui etiam rationem allegant scilicet, quod licet episcopus possit condere statutum in sua diœcesi quatenus spectat ad suam jurisdictionem, arg. c. II. de *Constit.* in 6. non tamen facere possit statuta in præjudicium ecclesiarum, vel clericorum infe-

riorum, vel contra jura eorum, sine eorumdem consensu. Hinc quia teste Glossa, loc. cit. quidam episcopi fecerunt statutum, vi cuius decimæ parochiales solis presbyteris locari poterant, Pontifex statutum hujusmodi pro nullo declaravit, et concessit, quod non obstante tali statuto possunt decimæ libere elocari cuius etiam laico, si elocans putat, quod inde conditionem suam faciat meliorem.

137. *Ultra triennium absque solemnitate elocari non possunt.* — Dicitur autem notanter in conclusione, « saltem ad triennium, » licet enim aliqui cum Pirhing, h. t. n. 138; Covarruvias, lib. II. *Variar. resolut.* cap. XVI, n. 6, ad finem velint, quod a parochis, et aliis clericis hujusmodi elocatio etiam ad plures annos, imo ad totum tempus vitæ elocantis fieri valeat, arg. cit. c. II. de *Locat. et cond.* ubi sine ulla determinatione temporis conceditur talis elocatio, et unica ponitur limitatio, ne videlicet hujusmodi locatio, ad feudum, vel alienationem videatur extendi. Nihilominus sententia de solo triennio iuri conformior, et sane tutior est, eamque tenet Barbosa, in cit. c. II. eod. n. 4, et in *Extravag. Ambitosæ, de Rebus eccles. alien.* n. 4. cum pluribus ab eodem allegatis, arg. cit. *Extravag. Ambitosæ*, ubi prorsus « omnium rerum, et honorum, ecclesiasticorum, » consequenter etiam fructuum decimarum locatio ultra triennium pro nulla et invalida declaratur, si absque consuetâ ad alienationem solemnitate juris fiat. Accedit, quod locatio ad longum tempus præsertim ad vitam locantis, vel conducentis expresse videatur etiam prohibita Clem. 1. de *Rebus Eccles. alien.* cum talis elocatio habeatur pro perpetua, uti observat Glossa, in cit. Clem. 1. vers. *Ejus*, arg. l. I. ff. *Pro socio*. Vide Covarruviam, loc. cit. n. 1. Nec refert, quod fiat de sola commoditate fructuum, quia et horum elocatio, si ad longum tempus fiat, in materia prohibita habetur pro alienatione, ad evitandam fraudem, Covarruvias, loc. cit. n. 1. citans Baldum, Fabianum, et Carol. Molin.

138. *Laici nulla, nec immemoriali præscriptione acquirere valent jus decimandi.* — Quæritur II. An laici præscriptione et consuetudine saltem immemoriali acquirere possint jus decimandi, prout acquirere valent clerici? Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi est; tum quia, « quæ sunt acquisibilia privilegio, sunt acquisibilia consuetudine: » at-

§ VII. DE DECIMIS, QUAS LAICI HABENT: ITEM DE DECIMIS NOVALIUM. 627

qui juxta dicta laici concessionem, et quasi privilegio summi Pontificis acquirere possunt jus decimandi; ergo et consuetudine: tum quia consuetudo immemorialis æquivalet privilegio, arg. c. *Super quibusdam*. 26. de *Verb. signif.* et ibi Glossa, vers. *Non extat memoria*. et c. I. de *Præscript.* in 6. et l. *Hoc jure*. § *Ductus aquæ*. ff. de *Aqua quotid.* Quibus non obstantibus. Resp. Laici nulla etiam immemoriali præscriptione acquirere valent jus decimandi, Engel, h. t. n. 23; Pirhing, de *Præscript.* n. 41; Rebuffus, de *Decimis*. q. 40. n. 24; Covarruvias, *Var. resolut.* lib. I. cap. XVII. n. 5; Layman, lib. IV. tr. VI. cap. VI. n. 8. et communis aliorum. Probat manifeste ex c. *Causam*. 7. de *Præscript.* ibi: « Quia cum laici decimas detinere non possint, eas nulla valent præscribere ratione: » ubi notanda sunt verba: « nulla ratione: » id est, nullo modo, ergo nec tempore immemoriali. Ratio redditur in textu allegato, videlicet, quia « Decimas detinere, seu possidere non possunt; » sive quia sunt incapaces possessionis decimarum: quod enim quis possidere non potest etiam præscribere nequit, cum « sine possessione » præscriptio non procedat, reg. 3. de *Reg. jur.* num. 6. et diximus supra lib. II. tit. XXVI. de *Præscript.* n. 184.

139. *Incapax possidendi, est incapax præscribendi rem aliquam.* — Nec dicas: Laici privilegio, et concessionem Papæ decimas legitime possident; ergo possessionis, et consequenter præscriptionis capaces esse videntur. Nam contra est; quia ad præscribendam aliquam rem non sufficit, quod ex speciali privilegio Papæ quis sit capax ad possidendam rem illam, sed debet etiam sine privilegio de jure esse capax, seu jus non debet ei resistere, eumque pro incapace possessionis habere; cum enim præscriptio a solo jure positivo sit introducta, nullam vim habere potest, ubi ei jus resistit, arg. l. *Ubi lex*. 24. ff. de *Usucap.* et docent cum communi Abbas, in cit. c. *Causam*. 7. de *Præscript.* n. 3; Pirhing, h. t. n. 43; Layman, lib. IV. tract. VI. cap. VI. n. 9. Jus autem resistit laicis, eosque possessionis et præscriptionis, decimarum incapaces declarat. c. *Causam*. 7. de *Præscript.* ergo.

140. *Respondetur ad rationem in contrarium.* — Ad rationem dubitandi n. 138, positam respondetur, etiam procedere, quando quis absque privilegio possessionis capax est. Dein consuetudo immemorialis præbet qui-

dem præsumptum titulum, hic tamen ad præscribendum sufficiens non est, si præscribens possessionis de jure capax non est.

141. *Qua ratione laici hodie fruuntur decimis?* — Quæritur III. An ergo damnandi sint laici percipientes hodie decimas, quas percipiendi nullum titulum, quam tempus immemorabile allegare, et probare valent? Resp. negative, quando non constat de vitioso initio. Covarruvias, loc. cit. § *Sed si dubitetur*; Joan. Andreas, in c. *Cum apostolica, de His, quæ fiunt a prælat.*, Ancoratus, in c. *Causam*. 7. de *Præscript.*; Engel, loc. cit.; Layman, loc. cit. et communis aliorum. Ratio est, quia licet tempus immemorabile non juret laicos ad faciendam præscriptionem juris decimarum, juvat eosdem in hoc, quod faciat et causet pro ipsis præsumptionem privilegii, vel justitiam tituli, ac sufficientem eisdem probationem, etiamsi titulus vel privilegium aliter probari nequeat, arg. c. *Super quibusdam*; de *Verb. signif.* l. *Hoc jure*. § *Aquæ ductus*. ff. *Aqua quotid.* et l. *fin. de Aqua pluvia ascenda*. Ratio est, quia quando tot annorum intervallo, laici jus decimandi pacifice detinent, nemine eisdem quæstionem movente, merito præsumendum est, eos, possidere incepisse, ex privilegio videlicet et concessionem summi Pontificis, vel per infeudationem per episcopum, vel alium Ecclesiæ prælatum ante decretum Urbani II. et concilium Lateranense factam, licet Instrumentum aliquod desuper edere, aut aliter probare non valeant: cum enim varii sint casus, ex quibus instrumenta perire, vel perdi possint, ut puta incendio, furto, marium depascentium insidiis, injuria dilacerantium, imo ipsa vetustas paulatim cuncta consumat, non debet Ecclesia in tot humanæ conditionis casibus occasionem aucupari, laicos privandi jure, quod forte Majores ob præclara in Ecclesiam merita obtinuerunt.

142. *Multum refert, an laicus titulo præscriptionis, an vero jure præsumpti tituli possideat decimas.* — Dices: quid interest, an laicus jure præscriptionis ob immemorabile tempus retineat jus decimandi; an vero idem jus eidem relinquatur ob privilegium ex immemoriali tempore præsumptum? Resp. multum omnino referre: si enim jure præscriptionis acquireret, illud retinere posset etiamsi postea tempore ad præscriptionem necessario, jam completo, veniret in notitiam quod absque legitimo titulo injuste possidere

incēpisset : cum non amplius vitiose sed jure præscriptionis legitime possideret. Secus est, si ob solam præsumptionem justi tituli retinet; quia in tali casu jus decimandi dimittere, et parochi restituere debet, quamprimum in sufficientem notitiam falsæ præsumptionis venerit, quocumque tandem tempore notitiam acquirat : prout bene observat Felinus, in c. *Accedentes de Præscript.* n. 6. et post ipsum Engel, loc. cit. n. 27. et alii; estque bene notandum.

143. *Laicus rescians, decimas absque justo titulo ab antecessoribus fuisse acquisitas, vel immemoriali tempore nondum possideri, eas dimittere debet.* — Hinc notanter dicitur « quantum non constat de vitioso initio : » quamprimum enim de hoc constat, jus decimarum relinquere debet, etsi immemoriali tempore ab antecessoribus fuerit possessum. Quod idem die, quando constat, quod immemoriali tempore nondum possideatur, quia non nisi immemorabile tempus præsumptum titulum præbet. Quid autem sit tempus immemorabile, et quomodo probetur, vide supra lib. II. tit. XXVI. de *Præscript.* n. 122. et seqq.

144. *Possessio immemorialis etiam sine fama privilegii habet vim præsumpti privilegii vel tituli.* — Porro licet Abbas, in c. *Cum apostolica*, 7. de *His quæ fiunt a Prælat.* n. 12. et ibi Joan. Andreas, Felinus, in c. *Cum contingat de Foro compet.* n. 4; Cardinalis de Luca, de *Decimis*, discours. 6. n. 24. et 25. allegans plures Rotæ decisiones, velint, ad hoc, ut laicus retinere valeat decimas, præter tempus immemorabile, requiri insuper famam privilegii, debereque laicum probare communem famam, quod antecessoribus decimæ ex privilegio concessæ, vel ante concilium Lateranense in feudum datæ sint. Nihilominus sententia contraria, videlicet, quod talis fama non sit necessaria, communior est, ac satis probabilis, eamque tenet Covarruvias, lib. I. *Variar. resolut.* cap. XVII. n. 5. § *Sed si dubitetur*; Pirhing, de *Præscript.* n. 44. et alii. Ratio est, quia universaliter tempus immemorabile etiam absque fama privilegii vel tituli, habet vim privilegii, ac tituli, arg. c. I. de *Præscript.* in 6. c. *Super quibusdam, de Verb. signif.* juncta l. fin. ff. de *Aqua pluvia arcend.* ibi : « Quibus auctoritatem velustas dedit, licet jus non probetur, tuendi sunt. » Nec possunt adversarii ex jure probare, cur in materia decimarum, et non in aliis requiratur fama privilegii, vel

alterius justi tituli in specie. Si dicunt rationem diversitatis esse, quod laicus sit de jure incapax possessionis decimarum, c. *Causam*, 7. de *Præscript.* Resp. esse saltem capacem ante concilium Lateranense per infeudationem, quod utique sufficit ad hoc, ut ex tempore immemoriali consurgere possit præsumptio, eos ex simili titulo decimas possidere incēpisse.

145. *Laici jus decimandi, quod habent, in alios transferre possunt.* — Quæritur IV. An laici jus decimandi, quod ex legitimo, vel saltem præsumpto titulo juxta dicta possident, possint per venditionem, donationem, mutationem, vel per alium contractum in alios transferre laicos? Resp. affirmative, Barbosa, in c. *Prohibemus*, 9. h. t. n. 7; Menochius, *Illustrium.* cap. LXXXIX. n. 2; Sylvester, §. *Decima.* n. 16, dicto 3; Guttierrez, *Pract. quest.* lib. I. cap. xv. n. 5. et 6; Pirhing, h. t. n. 144. cum Glossa, in cit. c. *Prohibemus*, h. t. §. *Laicos.* contra Abbalem, in idem c. n. 4. et plures alios. Ratio est, quia quivis potest jus sibi legitime competens in alium transferre, nisi jure prohibeatur arg. l. *In re mandata c. Mandati*, atqui nullum jus assignari potest; ergo. Nec dicas obstare, quod jus decimandi sit quid spirituale. Nam contra est, quod juxta dicta possit jus decimandi, ut abstrahit a titulo spirituali dari laicis saltem privilegio summi Pontificis : quo modo si eis datur, prout dari olim consuevit, datumque præsumitur, reputatur inter patrimonialia ipsorum, et ut quid profanum censi debet, uti cum aliis bene observat Barbosa, loc. cit. arg. l. *Pater filium*, 38. ff. de *Legat.* 3, et c. II. de *Feudis*. Confirmatur : « In dubiis optima legum interpretatio est consuetudo, » l. XXXVII. ff. de *Legibus*. atqui jura, quæ ab adversariis contra conclusionem allegantur, obscura sunt et dubia, ergo standum erit consuetudini. Hæc autem passim, præsertim in Germania, Gallia, Hispania habet, quod laici decimas, quas ab antecessoribus habent, pro libitu distrahant : ergo.

146. *Solvitur c. Prohibemus, 19. h. t.* — Objiciunt adversarii textum c. *Prohibemus*, 19. h. t. ubi se potissimum, et vix non unice fundant, ibi : « Prohibemus ne laici decimas cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laicos possint aliquo modo transferre. » Resp. hunc textum non loqui de decimis, quas juste et legitime ex verbis « Laici decimas cum animarum periculo detinen-

tes. » Hæc enim verba non verificantur de decimis legitimo titulo possessis; has siquidem tuto conscientia, et sine animarum periculo retinent, uti ipsi adversarii fatentur. Illud solum notandum, quod, ubi constat, jus decimandi laico esse perpetuo concessum in feudum, laicus in alienatione ejusdem observare debeat ea, quæ de feudis dicta sunt supra tit. XX. de *Feudis*.

147. *Novalia proprie, et improprie quid? Quæritur V. Quibus debeantur decimæ novalium? Ante responsum notandum, novalia proprie, et improprie accipi posse.* Novalia proprie juxta sacros canones dicuntur, quando ex sylva v. g. palude, aut alia terra ultra memoriam hominum inculta jacente ad culturam fit, seu erigitur ager v. g. c. *Quid per novale*, 21. de *Verb. signif.* ubi Papa dicit, quod « per novale intelligat agrum de novo ad culturam redactum, de quo non extat memoria, quod aliquando fuerit cultus. » Dicitur autem « juxta sanctos canones, » quia de jure civili l. *Sylva*, 30. ff. de *Verb. signif.* « Novalis est terra præcisa, quæ anno cessavit, id est, inculta jacuit. » Novalia improprie talia sunt, quando in locum prius cultum alii a prioribus distincti inferuntur fructus; ut si ex pratis, pomariis, vineis, pascuis etc. fiant agri, « wann Wissen, Obst oder Wein-Garten umbgerissen werden. » Item si agro prius frumentario inserantur lupuli, vel plantetur vinea, etc. Engel, h. t. n. 11.

Resp. I. Si novalia improprie dicta fiant ex talibus fundis, de quibus prius vi consuetudinis nullæ solvebantur decimæ, prout sæpe fit in his partibus, dum ex pascuis, pratis, pomariis, sylvis, etc. (de quibus vi consuetudinis nullæ solvantur decimæ) fiunt agri frumentarii, tunc decimæ de iis debentur parochi loci, non obstante, quod aliis ex aliquo titulo, privilegio v. g. debeantur decimæ, Engel, h. t. n. 11. et alii. Ratio est, tum quia parochus fundatam in jure intentionem habet, percipiendi omnes decimas c. *Cum contingat*, 29. et c. xxx. h. t.; tum quia decimæ novalium specialiter parochis appropriantur, adeo ut ad eas non fiat extensio, etsi alieni ex privilegio vel alio titulo competat jus omnes decimas alicubi percipiendi c. *Tua*, 25. c. *Cum contingat*, 9. h. t. et c. h. t. in 6. Nec dicas quod canones loquantur de solis novalibus proprie et non improprie dictis. Nam contra est, quod canones indistincte loquantur, consequenter indistincte intelli-

gendi sunt, cum « ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debeamus; » l. de *Præscriptio. ff. de Public. in rem actione.* præsertim in manendo in sensu indistincto reditur ad jus commune : prout fit in præsentibus; nam decimæ novalium pertinent de jure communi ad Parochum. Accedit, quod etiam decimæ novalium improprie dictorum expresse attribuantur parochis, adeo ut eas etiam regulares alias a solutione novalium exemptiolvere debeant parochi loci c. *Commissum*, 4. h. t. et ibi Glossa, vers. *Pascuis*.

Resp. II. Si novalia improprie dicta fiunt ex fundis, de quibus antea solvebantur decimæ, debentur de illis decimæ illi, qui prius ex tali fundo percipiebat decimas, sive parochus sit, sive alius, cui ex privilegio v. g. decimæ competunt. Fagnan., in c. *Commissum*, 4. h. t. a. n. 12; Joan. Andreas, ibid. n. 2; Pirhing, h. t. n. 112; Covarruvias, *Pract.* q. 37. n. 5. dicens esse communem : arg. c. *Commissum*, 4. h. t. ubi præcipitur, ut sicut de pascuis solim decimæ per solvebantur, ita nunc de iisdem ad frugum fertilitatem translatis decimæ persolvantur. Ratio est, tum quia qui semel in legitima possessione decimandi ex aliquo fundo est, in illa manebit, quidquid postea in eo satum, seu plantatum fuerit, arg. c. *Cum in tua*, 30. h. t. ibi : « Eis procul dubio debentur decimæ fructuum eorum, cum ipsis terra illa ab antiquo fuerit decimata, » tum quia licet mutetur cultura, ejus tamen substantia manet, ut loc. cit. observat Joan. Andreas; tum quia alias quivis pro libitu quemvis privilegium privari posset jure decimandi; faciendo ex agro pratium, vel vineam, aut e contra. Et hoc insinuari videtur c. *XXIX* h. t. ubi dicitur, decimæ novalium pertinere ad parochum : « Nisi rationabilis causa ostendatur, per quam apparet novalium decimas ad alium pertinere. » Hæc namque ratio merito etiam assignatur quasi possessio percipiendi decimas de fundis, ex quibus dein fiunt novalia improprie dicta.

148. *Decimæ novalium proprie talium spectant ad parochum.* — Resp. III. Decimæ de novalibus proprie dictis spectato jure communi, et seclusis privilegiis pertinent ad parochum loci, in quo facta sunt novalia. Barbosa, in c. *Quoniam*, 13. h. t. n. 1. et ibi Abbas, n. 1; Pirhing, eod. n. 100; Engel, eod. n. 11. cum communi et certa aliorum, textu claro cit. c. *Quoniam*, 13. h. t. Ratio est; quia universaliter « perceptio decima-